Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35436
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

8.

esse quod laqueetur in principio madii quia tunc temporis consueverunt pulli esse pinguiores et propter herbas quas comederunt in vere sunt purgati et mundi ab omni corruptione et calefactione quam habent in corpore. Preterea inveniuntur tunc tempore herbe recentes que competunt valde pullis. Non laqueetur pullus tempore nimis calido, quia ex consueta captione estuando laboraret unde leviter posset membrorum et corporis incurrere lesionem. Eo autem capto ut dictum est impositoque sibi capistro de canapo cum capitzolo de corio ducatur frequenter ad aquam et per terram ad societatem aliorum equorum domitorum donec assuescat bene ire. Postmodum plus ducatur donec assuescat bene ire sine societate. Postmodum ducatur per terram et ad aquam cum freno in ore, deinde cum sella.

Quando et quo tempore domari debet. xxii

Pulli domari possunt postquam ad etatem duorum annorum pervenerint sed longe melius et utilius est quod domentur postquam ad etatem trium annorum pervenerint, quia in tali etate perfecti sunt membris et corpore ut domari possint. Sunt enim robusti et membris valentes sustinere laborem. Ultra vero hanc etatem licet difficile sit domare, tamen fertur quod Fredericus imperator nunquam equos quos sua propria faciebat domari nisi essent quatuor annorum, et dicebat quod ex hoc equi erant saniores et fortiores, et ex hoc equi habebant tibias et iuncturas magis mundas et siccas, nec poterant extunc habere gallas.

Quomodo et qua cautela equi dometur. xxiii

Quando vero debent domari pulli diligenter debet adhiberi cautela primo quod equus ad presepium binis capistris alligetur, et hoc taliter fiat quod pro sua indomitate a duobus capistris in cruribus aliquatenus non ledatur, et donec in sua ferocitate permanserit suo sibi domito serviet quia tunc et securius poterit ad eum accessus haberi. Et sepe sepius leniter et suaviter manum pedes et tibie et alia membra tangantur. Nec debet in principio contra eum acriter homo indignari, ne forte propter hoc aliquod vicium indecens assumat. Sed ad maiorem consuetudinem (?) levitatis et mansuetudinis tangatur donec mansuetus et bene domitus per assiduum et crebrum tactum manuum in omnibus efficiatur ut decet ut dictum est. Ita quod plene et secure sua membra cum contra tangantur et specialiter pedes sepius elevando et admodum ferrandi pedes percuciendo. Nec ante biennium etatis aliquis laqueetur quia propter iuventutem ex labore consueto domatoris aliquas lesiones in cruribus de facili incurrere posset.

De custodia equorum post domationem. xxiiii

Domatione facta taliter custodiatur equus. Imponatur capitzolum forte de corio forti et humili sive leni, et binis capistris debet presepio alligetur ut dictum est supra. Pedes vero anteriores pedica seu pastoris de lana compositis vinciantur. Retro vero pedum posteriorum funis laneis que vulgo tramellus dicitur alligetur, ne diu ullatenus ire possit. Et hoc fit ad securitatem contra